

Propositio II.



I augem alicuius planetae ad tempus quodcunq; scire desideras, praescri-  
be primo illud distincte per suas differentias, ut assolet. Et intra cum  
annis Christi completis tabulam, radicum augium planetarum annorum  
collectorum, quaerendo in linea numeri annum tuum finitum, quem si  
praecise inueneris, recipe de tabula planetae tui motum iuxta positum, & habes in-  
tentum. Si uero annos Christi transactos praecise non inueneris, tunc fiat introitus  
cum minore uiciniore, circa quem accipe motum extra scribendo. Non aliter cum  
residuis annis quos expansos uocamus, ex tabula annorum expansorum te facere  
oportet, tabulam dico hanc in cuius fronte numerus annorum collectorum primi  
introitus fuerit repertus. Motum ergo ibidem scriptum priori adijcias, & inuenisti  
radicem augis anni propositi.

Notandum tamen erit, quod tabulae augium in annis collectis sunt tales, quod  
cuilibet planetae seorsum una ordinata est, praeterquam Soli & Veneri, quibus si-  
mul una est propter eundem utriusq; augis locum. In expansis uero semper una  
duntaxat planetis omnibus ad 20. inseruiet annos, illa scilicet quae in fronte annos  
tuos collectos gestare cernitur. Eodem modo una & eadem tabula mensium, alte-  
raq; dierum cunctis planetis suffecturae censentur. Cum nullam temporis post dies  
ipso differentiam in praesentiarum ob augium motus nimiam tarditatem dignum  
duximus esse curandam. Deinde cum mensibus & diebus transactis succedenti-  
bus completis annis assignati temporis redeat operatio canonis praecedentis.  
Illo secluso, quod si contigerit te praticare per annum bisextilem, & dies propositi  
sequatur Februarium, intrandum erit cum die sequente. Hac etiam utere cau-  
tela si placet, nec inde subcrescit error sensibus, exemplum in calcem transferunt  
facilitate suadente.

Argumentum Solis elicere.

Propositio III.



Solis argumentum mediante eius motu medio, atq; eius auge tali mo-  
do uenatur. Habeas medium Solis motum per primam, & augem  
eius per praecedentem, subtrahe demum augem Solis de ipsius me-  
dio motu accommodata reuolutione integra, dum subtractio fieri non  
posset, & residuabitur argumentum, uerbi gratia: Medius motus So-  
lis ad tempus supra positum est 0 signa, 22 gra, 26. mi. 17. secund. Aux uero eius-  
dem 3 signa, 1 gra, 11 mi. 55 secund. qua sublata de medio motu Solis, remanebit  
Solis argumentum scilicet 9 signa, 21 gra, 16 mi, 22 secund. idem fiat in caeteris.

De medijs argumentis trium superiorum.

Propositio III.



Argumentum medium uniuscuiusq; trium superiorum sic inuenies, ha-  
beas primo medium motum Solis atq; planetae assignati per primam  
ad hoc tempus ad quod argumentum tale scire festinas. Reijce ergo  
medium motum planetae de Solis motu medio, & quicquid remanet  
erit tui planetae argumentum medium quod quaerebas, ut exemplo clareat, Sit  
motus Martis aequalis ad tempus, ut supra 4 signa, 6. gra, 2 mi: 26 secun, per pri-  
mam